



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 163. Alphonsi Tostati obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. acceptis hac de re a summo Pontifice
 A.C 1454. literis, Marchiæ Comitem, & illustrem
Feminam Albritiam ad incæstuosum hunc
 Comitem eorum Nepotem eo consilio
 mittit, ut illum sublato scandalo ad sanio-
 ra reducerent; verum hi furdas pulsa-
 bant aures; quapropter Comes omnibus
 ditionibus suis exutus, totoque regno ex-
 ulare iussus est.

§. CLXIII.

Alphonsi Tostatati obitus.

*Rainerius
 Bovofius in
 Præf. oper.
 Tostat.*

*Bellarmin. de
 Script.
 Eccles.*

Luxit hoc anno Orbis Literarius Al-
 phonsum Tostatatum, quem Hispania
 merito inter præstantissimos Regni sui Vi-
 ros celebrat. Salmanticæ liberalibus
 disciplinis deditus, tantam rerum omnium
 scientiam adeptus est, ut vix duos &
 viginti annos natus, Philosophiam, ac u-
 triusque Juris prudentiam complexus, id
 quod paulo antea didicit, perfecte o-
 mnium judicio mox docuerit. Hic acu-
 tissimo cum esset ingenio, peracrique
 judicio, necnon memoria perquam tena-
 ci juxta ac felici, omnem liberalium ar-
 tium cognitionem exhaustisse videbatur.
 Omnium denique scientiarum compen-
 dium atque exemplar fuit, ita ut in sin-
 gulis versatus, uni tantum toto vitæ suæ
 decursu operam dedisse crederetur. U-
 tramque linguam Græcam, ac hebraicam
 non

non minori peritia ac patriam calluit. Sæcul. XV.
A.C. 1454.
 Tot ergo meritorum fama celeberrimus
 brevi ad supremas Ecclesiæ, Regni que
 dignitates euectus est. Basileensi quo-
 que Synodo interfuit, paulo post in Abu-
 lensis Ecclesiæ Episcopum assumptus.
 Obsequiorum, quæ Ecclesiæ ac Reipu-
 blicæ præstitit, memoria adhuc recens in
 omnium ore versatur. Insuper luculen-
 ta Sanctitatis suæ argumenta, necnon
 ingens illa voluminum, quæ conscripsit,
 moles manifeste testantur, quod nunquam *Rainer. ibid.*
 otiosus, semper singula vitæ suæ mo-
 menta jam publicis negotiis, jam scien-
 tiis, jam pietatis operibus æqua parte
 sacraverit. Excellentia eorum librorum,
 quos insignis ille Vir posteritati reli-
 quit, Reipublicæ literariæ magis fune-
 stam reddit jacturam illorum operum,
 quæ hæctenus aut inventa non sunt, aut
 nobis eripuit præmatura ejus mors, qua
 jamjam in quadragesimo ætatis suæ an-
 no e vivis excessit. Enimvero vix quis
 credere potest, quod in tam brevi decem
 & octo annorum spatio Alphonsus tan-
 ta percurrere, intelligere, dictare, pro-
 priaque manu conscribere valuerit, cum
 tamen inter tot publica, & privata ne-
 gotia, quibus distinebatur, Regi, populo,
 & Ecclesiæ deserviret.